

licet obtinuerit ex litteris apostolicis concessionem ut esset Capellanus in Ecclesia ubi pater ministravit, removendus est, idest litteræ apostolicæ præsumuntur obreptitiæ vel subreptitiæ. Exciipiuntur vero legitimated per subsequens matrimonium. Isti enim ex sensu *cap. 6. Qui filii sint legitimi* veniunt sub appellatione filiorum qui nati sunt ex legitimo matrimonio. Cfr. Fagnanum *Comm. ad Cap. Ad extirpandas h. t. num. 33.*

16. Synodus vero Tridentina in cit. loc. *sess. 25. de Ref.* hasce dispositiones juris communis ampliat et melius explicat. Ex verbis vero Tridentini tria consequuntur: 1º. filios clericorum illegitimos in ecclesiis in quibus patres habent vel habuerunt ecclesiasticum beneficium, obtinere non posse quodcumque etiam dissimile beneficium; 2º. immo nec in iisdem ecclesiis quoquo modo ministrare; 3º. nec habere posse pensionem super fructibus beneficiorum quæ parentes eorum obtinent vel obtinuerunt. Ex tenore ejusdem capituli eruitur dispositionem Synodi respicere non solum filios presbyterorum, sed etiam eorum qui tantum Clerici sunt et beneficium in ecclesia possident. Immo ex declaratione s. Congr. Conc. relata a Garcia *p. 7. de Benef. c. 3. n. 15.* sub eadem dispositione comprehenduntur non solum filii progeniti in clericatu, sed etiam illegitimi progeniti ante clericatum. Quare dispositio respicit omnes filios illegitimos clericorum quamvis ad ordines suscipiendos dispensationem juridicam fuerint assequuti. Hanc etiam dispositionem Tridentinam explicans *S. Congr. Conc. resolvit* 1º. per eam prohiberi etiam mediatam successionem filii in beneficium patris: annis 1589. et 1608. — 2º. nec posse audire confessiones in ecclesia, ubi pater parochus fuit, et demortuus est: In Oritana diei 4. Julii 1645. — 3º. Filius illegitimus non potest fieri rector ecclesiæ filialis et dependentis illius ecclesiæ matricis, cujus pater rector fuit: quemadmodum resolutum fuisse a s. Cong. Conc. refert Fagnanus *comm. ad cap. XI. h. t. n. 34.* Cfr. Bened. XIV. *De Syn. L. 13. c. 24.* Quibus positis quamvis Episcopus aut alius Prælati jurisdictione quasi episcopali gaudens possit dispensare cum illegitime natis ad ordines minores suscipiendos, et ad obtinenda beneficia simplicia, non potuit tamen dispensare cum illegitime natis ut assequantur beneficium paternum vel pensionem in sensu exposito, quia contraria prohibitio pendet a jure communi. Præ oculis etiam haberi debet Const. Greg. XIV. quæ incipit '*Circumspecta filia*' quæ prohibet quominus illegitimus possit

recipi in ordine religioso in quo pater ejus adhuc vivit. Tandem animadverti debet, prohibitiones canonicas in præsentia materia non egredi ipsas personas parentum et filiorum. Quare nepotes legitimi nati ex filio illegitimo clerici non comprehenduntur in cit. decreto *sess. 25. cap. 15. Conc. Trid. de Ref.* Ita resolvit s. Congr. Conc. in causa *Tricaricen.* diei 23. Januarii an. 1610.

TITULUS XVIII.

De servis non ordinandis et eorum manumissione.

1. Servitus a servando derivat, quia servi dicebantur illi qui capti in bello dum potuissent perimi, servabantur. In genere servire dicitur qui operam suam ad alterius arbitrium præstare debet. In stricto vero sensu, prout accipiebantur inter Romanos Instit. *De jure Person. § Servitus.* servi sunt, qui dominio alieno contra naturam, constitutione juris, subjiciuntur. Servitus quæ erat juxta leges romanas, et procedebat vel ex nativitate, vel ex captivitate, nempe ex bello, vel ex venditione, quum nempe quis major 20 annor. ad pretium recipiendum se venumdari patiebatur, revera dici poterat contra naturam; nam servorum nulla erat conditio et status, nec ullum proprie dictum jus habebant. Hinc servi non considerabantur uti personæ, sed uti res. Et in dominio Romanorum quemadmodum variæ rerum possessorum classes secernebantur, ita hisce classibus recensebantur servi. E contra cum ingenui et liberi homines in varias classes dividerentur vel ratione status, vel ratione honoris et familiarum, servorum nulla erat divisio; quia servus nullum jus erat. Hinc poterant noxæ dari, et aliquando potuerunt etiam occidi. Quare servitus mortalitati fere comparabatur. *L. servitutem ff. de Reg. Jur.* Hic excessus lapsu temporis prohibitus est, non tamen quia servus aliquod jus datum sit, verum solummodo, quia civibus impositus est modus, et rationabilis usus rerum suarum.

2. Qui conceptus servitutis naturæ hominis aperte repugnat. Hunc conceptum reformare aggressa est christiana Religio. Ipsi enim Apostoli docuerunt in Christo omnes esse æquales, nec distingui gentiles et Judæos, liberos et servos; Deumque divitem esse in omnes qui invocant illum. Hinc etiam cum designantur in prædicatione apostolica obligationes servorum, describuntur

etiam obligationes dominorum erga servos. Hinc servi incoeperunt fieri capaces jurium, et assequi propriam personalitatem.

3. Verum non potuit illico religio abolere servitutem, ne ob peculiarem educationem et mores servorum, nec non ob numerum eorundem, et ob relationem extensam et veluti substantialem cum proprietate civium, et publici regiminis administratione, turbaretur ipsa societas, et servi libertate gaudentes non haberent unde viverent. At privilegia invexit ecclesia et excitationa adhibuit, quibus sensim sine sensu servitus fere disparuit. At ubi etiam perseveravit servitus, ea sub influxu religionis, non amplius retinuit conceptum pristinae servitutis Romanorum. Servi enim et habuerunt propria jura, et ex sacramentorum susceptione facti sunt capaces vitae aeternae. Quo in sensu servitus non repugnat naturae. Attamen est semper status humiliationis et servorum est vilis conditio. Hinc ecclesia non omnia jura potuit servis concedere, et eos ab ordinibus arcet tamquam irregulares, idest servitus est species irregularitatis. Indecorum enim est ut qui in conditione servili detinetur ad fastigium ordinis sacerdotalis promoveatur. *Can. Admittuntur dist. 54. et c. 1. h. t.* Aliqui addunt etiam rationem ex laesione juris quam paterentur domini, si ab eis auferrentur servi et manciparentur divino servitio. At haec ratio est potius ex conceptu juris romani, non undequaque in hac re probandi.

4. Irregularitas ex servili conditione est ut servi ordinari non possint insciis aut invitis dominis suis *cap. 2. h. t.* Haec juris dispositio est etiam quoad ordines minores. Verum consentientibus dominis ordinari possunt servi, immo servi ordinati ex consensu domini libertatem eo ipso consequuntur. Qui enim in servo permittit officium clericale, censetur etiam velle consequens, seu conditionem necessariam ad status decentiam. Quemadmodum qui servum haeredem instituit, censetur illum manumittere: *Inst. Quibus causis manumittere etc. §. idemque juris.* Dominus vero consentire potest pure et simpliciter, vel etiam reservare potest sibi spirituales operas a servo post ordinationem praestandas, *c. 4. h. t.* Quae reservatio etiam ab ecclesiis fieri potest si filios servorum suorum ordinaverint, ut sibi in officiis divinis famulatum praestent. Quo in casu non licet ordinatis se ad alias ecclesias transferre; licet vero si in ordinatione manumittenti ecclesiae non fuerint obligati, *cap. 6. h. t.* Si quaeratur qui consensus domini requiratur,

dicendum est, in genere requiri expressum consensum. Nam in *can. 12. dist. 54.* facultas dominorum pro servis suis ad ordines suscipiendos sub scripturae testimonio vel per legitimam transactionem danda praescribitur. Verum sufficit etiam consensus tacitus. Hinc si dominus videns servum ordinari, cum posset reclamare et impedire si vellet ordinationem, taceat et silentio suo permittat ordinari, censetur consentire et cedere juri suo *can. 20. dist. 54.* Porro hic domini consensus ad ordines suscipiendos locum tenet manumissionis; nam manumissio in titulo nostro non exprimit illum ritum legitimum quo jure romano servi a dominica potestate solvebantur; sed solummodo significat concessionem libertatis, qua obtenta servi ad ordines possunt promoveri.

5. Quid vero si servus domino ignorante vel contradicente ordines susceperit? Si susceperit ordines minores solummodo, et dominus illum sibi vindicet, debet eidem restitui, ac in pristinam revertitur servitutem *c. 2. h. t.*; quod caput cum generice de ordinibus loquatur intelligi potest et debet etiam de servis ad ordines minores promotis praesertim ex juris concordantia ex *gr. cann. 9. et 10. dist. 54.* Quod si vero servus ordines sacros susceperit, iterum distinguendum est; si sacerdos ordinatus fuerit, vel susceperit diaconatum aut subdiaconatum sciente Episcopo, Episcopus tenetur duos aequales servos restituere aut aequivalens pretium domino servi ordinati solvere. Servus autem ordinatus efficitur liber et in ministerio perseverat *can. 19. dist. 54.* Canon loquitur de promotis ad sacerdotium et diaconatum; attamen valet dispositio etiam pro subdiaconis; nam Innoc. III. *c. 7. h. t.* hac in re aequiparat Subdiaconos Diaconis, et Subdiaconatum sacrum ordinem esse dicit. Si vero servus fugiens a domino deceperit Episcopum se jactans esse liberum et ad Subdiaconatum vel Diaconatum sese fecerit promoveri, alium servum vicarium loco sui praestabit, aut ex suo peculio si quid habet, tenetur sui pretium domino solvere, atque ita se redimere. Quod si ordinatus servus peculio careat, nec habeat unde redimi possit, instante domino deponendus est, et inde restitui eidem domino debet *can. 9. dist. 54. et cap. 2. h. t.* Si tandem ad Presbyteratum fuerit promotus, deponi non potest; sed exspoliatur peculio suo quod domino traditur *can. 9. dist. 54.* Quod si careat peculio, domino suo praestabit opera spiritualia, idest mysteriorum celebrationem *can. 10. dist. 54.*

6. Animadverti autem debet aliquibus in locis in usu esse speciem servitutis aliquantisper distinctæ servitute antiqua romani juris, eamque consistere in obligatione personæ præstandi personalem operam in agro colendo. Qui hac obligatione tenentur dicuntur servi *adscriptitii* vel servi glebæ. De hisce servis meminit Benedictus XIV. *De Syn. Diœc. Lib. 9. cap. 11. n. 5. Engel* autem *h. t. n. 6.* docet præscriptiones canonicas quoad irregularitatem ad hosce etiam servos extendendas esse. Ex jure enim civili locali servi hujusmodi dominis operas suas præstare tenentur.

TITULUS XIX.

De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.

1. Sunt quædam munia quæ vel directe respiciunt ipsam rem publicam, vel sub juris tutela ita custodiuntur, ut qui ea occupat et exercet, teneatur et juridice cogi possit ad rationem reddendam negotiorum gestorum. Obligati ergo ad ratiocinia dicuntur qui generalem aliquam administrationem exercent, vel exercuerunt, ex qua dominis principalibus rationes reddere tenentur. Tales sunt procuratores, actores seu syndaci, executores ultimarum voluntatum, tutores pupillorum, et curatores minorum. Hi omnes repelluntur ab ordinibus suscipiendis nisi antea officium dimiserint, rationes reddiderint, ac plenam liberationem a dominis principalibus obtinuerint. *c. un. h. t.* Quibus ob paritatem rationis accensendi sunt publici conductores vectigalium *c. 1. et 2. Ne Clerici vel Monachi*, et generatim qui publicam administrationem gerunt, et rationes reddere tenentur.

2. Ratio hujus ecclesiasticæ præscriptionis multiplex est. Prima quidem, ut ait caput cit., ne ecclesia infametur. Periculum siquidem esset ne obligatus ad ratiocinia posset suam administrationem congruis probationibus fulcire, et macula infamiæ forsitan in sacrum ministrum injiceretur, quæ in dedecus vergeret clericalis ordinis. Secundo facile aperitur via fraudi et abusibus. Obligatus enim possit facile statum clericalem assumere, ut dominum principalem ad forum privilegiatum pertraheret; immo ut contra ipsum objiceret privilegium competentiae idest honestæ sustentationis ex *cap. Odoardus De Solutionibus*. Quare forsitan statum clericalem elegerunt non amore religionis, sed potius intuitu temporalis utilitatis. Hac vero in re Doctores optime animadvertunt pro-

hibitionem, ne ad ordines assumantur, non sese extendere ad eos qui curam gerunt miserabilium aut ecclesiasticarum personarum, aut tutelam habent agnatorum suorum. Quare hi perseverantes in officio possunt ad ordines promoveri. Nam hujusmodi officia possunt cum ecclesiastico statu conciliari, et a Clericis exerceri *can. 26. dist. 86. can. 22. caus. 16. q. 7.*

3. Quod si vero aliquis obligatus ad ratiocinium inscientibus aut etiam contradicentibus creditoribus fuerit ordinatus, in officio sacro perseverabit; nec deponendus erit, nec de jure suspensus est; cum in sacris canonibus hæc pœna nullibi statuatur; sed Episcopus ordinans si scienter fecerit, tenebitur ipse eo modo quo poterit indemnes reddere creditores; bona insuper si quæ sunt ordinati in solutum cedunt eisdem creditoribus, quæ nisi sufficiant, per cautionem eo modo quo fieri poterit providebitur ut saltem cum primum fas erit ordinatus satisfaciatur suæ obligationi. Quod si vero obligatus ex malitia ad ordines se fecerit promoveri, arbitrio prudenti Episcopi pœnas solvat culpæ suæ. Quæ omnia in *Glossa in cap. un. h. t. v. 'infamatur'* declarantur. Judicium vero utrum ex simplicitate an ex malitia obligatus ad ratiocinia egerit, non a tribunali laico, sed a tribunali ecclesiastico proferetur *c. 12. de sent. excom. in 6º.*

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis vel non.

1. Etiam vitium corporis, quod utile vel honorabile impediatur opus ministerii constituit speciem irregularitatis ex defectu. Hic titulus distinguitur ab alio 'De Clerico ægrotante vel debilitato' in Lib. 3º. Nam titulus noster considerat infirmitatem vel defectum in relatione ad exercitium ministerii ordinis, ille vero considerat infirmitatem vel defectum in relatione ad beneficium ecclesiasticum, quod jam Clericus possidet. Vitium corporis triplex esse potest in sensu tituli; idest debilitatio, mutilatio, deformitas.

2. Debilitatus ille dicitur, qui licet nullo destituatur membro corporis sui, tamen unum aut alterum membrum ineptum habet et viribus carens ad exercendam actionem propriam. Hoc vitium dicebatur etiam ariditas. Mutilati illi appellantur qui aliquo membro principali et propriam actionem habente carent. Indifferens vero est, an a natura vel a causa alia procedat membri defectus.

Deformes vero dicuntur qui aliquo defectu notabili laborant, ex quo graviter offenderetur decencia divini cultus, vel quia horror excitaretur aut risus, vel etiam quia admiratio et scandalum in populo oriretur. Pro exemplo afferuntur qui monstruosum gibbum gestant, qui nasum abscissum habent, vel sunt leprosi vel graviter claudicantes. Cum ministerium ecclesiasticum debeat esse utile et honorabile, hi omnes qui aliquo ex supra expositis vitiis maculantur, sive ortum habuerit ex culpa, sive non, irregulares quoad ordines censentur. Quod in genere traditur in *can. 59. Dist. 50*. Quæ irregularitas non solum impedit susceptionem ordinum majorum, sed et minorum et primam tonsuram; quia in hodierna disciplina ordines minores non constituunt statum Clerici, sed considerantur ceu via et medium ad presbyteratum. In genere autem corpore vitiati in cit. *can. 59*. prohibentur applicari divinis ministeriis.

3. Qua in re distinguendum est, an agatur de eo qui ordines suscepit, vel de eo qui nondum promotus est ad ordines. Hic enim alter arcetur prorsus ab ordinibus suscipiendis, primus vero privatur exercitio illius ministerii, quod ei impeditur ex contracto defectu: ita *c. 2. De Clerico ægrotante*. Excipitur autem casus culpabilis mutilationis alicujus membri corporis, immo etiam digiti, de qua re inferius sermo erit. Ut vero ex vitio corporis constituatur irregularitas, vitium notabile debet esse, idest quod impediatur exercitium ministerii, vel ministerii opus reddat indecens, illudque quodammodo deturpet. Damus aliquod exemplum. 1º. Ex *c. 5. h. t.* habemus mutilationem manus, et ex *c. 2. De Cler. ægrot.* abscissionem medietatis palmæ cum duobus digitis. 2º. Ex *c. ult. h. t.* qui debilitatos habet pollicem aut indicem ut frangere Eucharistiam non possit; a fortiori qui abscissos habet pollicem vel indicem. Et ex potioritate rationis idem de debilitato totius brachii vel manus dicendum est. Quod si quis partem solum digiti ad frangendam hostiam necessarii amiserit, ita tamen ut absque admiratione possit celebrare, non est irregularis habendus *c. 1. h. t.* Nec irregularis est censendus qui amisit digitum integrum non necessarium ad frangendam hostiam, dummodo cæremonias possit honeste complere *can. 11. dist. 55.* et Doctores cum Glos. ibi v. 'sinistræ'. — 3º. Ex *c. 2. h. t.* qui maculam in oculo habet ita ut deformitas sequatur; unde si deformitas ex macula in oculo non sequatur, non inducitur irregularitas. A fortiori autem ille irre-

gularis est cui oculus erutus fuit *can. 13. dist. 55*. Immo juxta non paucorum doctorum sententiam, etiam ille irregularis censetur qui ita luce caret in oculo sinistro qui dici solet oculus canonis ut nonnisi prorsus indecenter possit canonem legere. — 4º. Notabilis deformitas irregularitatem inducit. Ita qui naribus aut auriculis truncatus est, pariter unipes, et claudus qui innixus baculo vel pede ligneo incedere debet. Et in genere magna et notabili deformitate laborantes *c. 2. h. t.* — Tandem ex *can. 3. dist. 33.* censentur irregulares epileptici, frenetici, qui caduco morbo laborant, donec a morbo liberentur, et per discretionem Episcopi censeantur idonei et habiles ad ministerium ecclesiasticum exequendum. *can. 2. et seqq. Dist. 33.*

4. Ex hac dispositione ultima et ex *c. 2. h. t.* inferunt Doctores judicium in dubio circa qualitatem defectus corporei, an videlicet irregularitatem inducat vel non, ad Episcopum pertinere. In cap. enim *2. h. t.* Alexander III. suffraganeis et Archiepiscopo Cantuariensi commisit officium inspiciendi, utrum macula in oculo electi cujusdam deformitatem induceret ministerii. Nec dicatur mandatum illud inquirendi naturam defectus valuisse pro illo casu speciali, nam cum relatam fuerit in corpore juris, induit indolem dispositionis juridicæ, ac proinde ordinariam Episcoporum facultatem respicit. Ad rem facit decretum *s. Cong. Conc. in Mexicana* 12. Julii 1721. relat. in Thesauro resolutionum *tom. 2. pag. 15. et 41.* Et quidem judicium in dubio irregularitatis pertinet ad Episcopum etiam quoad regulares quando agitur de promovendis ad ordines. Nam nullo jure cogitur Episcopus illum ordinare, quem judicat arcendum esse ab ordinibus ob vitium corporis. Aliter vero dicendum esse videtur, si de jam promoti agatur. Videlicet in dubio, judicium reservatum esse videtur Prælati regulari; arg. *c. 3. De Privil. in 6º.*

5. Posita vero existentia defectus corporis super irregularitate inde orta solus Pontifex dispensat. Et ratio est, quia irregularitas inducta est a jure communi, circa quod Prælati summo Pontifice inferiores dispensare non possunt, nisi habeant delegatam potestatem, prout est facultas concessa Episcopis a Trid. in sess. 24. c. 6. de Ref. dispensandi supra irregularitate proveniente ex crimine occulto, excepto homicidio voluntario. Unde Episcopi ubique possunt dispensare super irregularitate quæ oritur ex voluntaria et culpabili abscissione alicujus membri, quoties hoc delictum sit

occultum, et abscissio talis non sit, quæ honorabilem ordinis executionem impediat.

6. Quæritur quandonam et quomodo vitium corporis irregularitatem producat. Distinguendum præ primis est inter vitium contractum absque culpa et vitium quod ex propria ordinandi vel ordinati culpa procedit. Sit primo loco de vitio absque culpa contracto. Si vitium contractum ante ordines suscipiendos tale sit, ut vel impediat conveniens exercitium ministerii ordinis sacerdotalis vel magnam seu notabilem deformitatem inducat, reddit irregularem personam ad omnes ordines suscipiendos, etiam ad illum ordinem cujus ministerium non impeditur a vitio. Qui enim, uti supra innuimus, non potest esse sacerdos, neque ad alios ordines inferiores promovendus est. Ita Doctores in re communi, et in specie Garcias *De Benef. part. 7. cap. 12. n. 28.* ubi refert regulam hanc fuisse a S. Cong. Conc. firmatam. Quod si idem vitium contrahatur post ordines jam susceptos, illud non inducit absolute et simpliciter irregularitatem; sed solummodo relate ad illum actum ordinis, qui a vitio impeditur, vel a quo ex deformitate arcetur *c. 2. De Cleric. ægrot.* in quo de presbytero absque culpa sua mutilato dicitur 'ipsum autem cæteris officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus'. Ratio est quia agitur de jure jam quæsito tollendo, et per consequens restrictiva irregularitatis interpretatio adhibenda est. Quare si presbyter debilitetur in manu vel mutiletur in digitis, vel ob contractam deformitatem decens servitium altaris præstare nequeat, poterit confessiones audire et pœnitentes absolvere, baptizare et alia officia propria sacerdotum exequi. Unde etiam sequitur si dispensatio debeat expostulari, eam esse exposcendam solummodo relate ad exercitium illius actus, qui a contracto defectu impeditur, non vero quoad alia officia ministerii sacri, quæ a defectu contracto non præpediuntur. Animadverti etiam potest, praxim S. Sedis esse, ut facilius dispensatio ab irregularitate quoad promotos, idest ab irregularitate superveniente post susceptum ordinem presbyteratus concedatur, quam quoad promovendos, licet agatur de eodem defectu. Porro in dispensationibus concedendis S. Sedes præ oculis habet qualitates laudabiles personæ et necessitatem vel magnam utilitatem quæ ex ministerio ejusdem Ecclesiæ etiam particulari derivare potest. Solet autem cautelas, quibus et scandalum removeatur, et securitati exercitii sacri ministerii consultum sit, ap-

ponere. Quare si agatur de presbytero cæco vel debilitato, exigere solet, ut missam celebret cum assistentia alterius sacerdotis. Ita *s. Cong. in Florentina diei 23. Augusti 1727.*

7. Quid vero si vitium seu defectus ex culpa contrahatur? Leges civiles Romanorum agnoverant hominem non dominum membrorum corporis sui esse. L. 13. ff. ad L. Aquiliam. Canones autem hominem qui in aliquod sui corporis membrum sævierit, ob periculum ex mutilatione derivans, homicidam dixerunt, et injuriæ contra Deum dixerunt auctorem *can. 4. dist. 55.* Quare Doctores ex *cit. can. 4.* et ex *cann. 6. 21. et 22.* ejusd. dist. nec non ex *c. 3. h. t.* sequens principium inferunt: qui nulla necessitate cogente seipsum mutilaverit, aut se ab alio mutilari jusserit, vel affectaverit, irregularitatem incurrit ita ut nec ordinari, nec in receptis ordinibus ministrare possit, etiamsi mutilatio nec ordinis utile exercitium impediat, nec deformitatem notabilem secumferat. Quin immo Doctores ex modo loquendi et intentione canonum inferunt illum etiam irregularem esse, qui dando operam rei illicitæ quæ per se inducit mutilationis periculum, passus est abscissionem virilium, vel mutilationem membri, etiam absque impedimento celebrationis missæ et absque gravi deformitate; arg. *capp. 7. et 8. De Homicidio.* Secus vero si actio illicita ex se non importat periculum mutilationis. Quare in hac re non attenditur proprie defectus membri ad actum sacri ministerii vel deformitas personæ in decenti exercitio ministerii ejusdem, sed potius attenditur animus et mala voluntas. Quare crudelitas hominis in seipsum punitur. Porro irregularitas incurritur in hoc casu, licet factum criminis non sit notorium, sed potius occultum sit. Nam canones non respiciunt notorietatem criminis, sed ipsam pravam intentionem considerant. Hinc si abscissio non procedat ex facto proprio, nec ex culpabili permissione personæ, irregularitas per se non contrahitur. Quare 1^o. qui ex nativitate est eunuchus, vel factus est eunuchus in cunabulis irregularis non est *c. 3. h. t.* — 2^o. Qui ex consilio medicorum genitalium sectionem passus fuerit, irregularis non est *cann. 6. seqq. dist. 55.* et *c. 5. h. t.* — 3^o. Si quis ex insidiis hostium vel ex malitia aliorum factus fuerit eunuchus irregularis non est *c. 3. h. t.* — Quid vero si quis ad sedandam libidinem, reputans se obsequium præstare Deo, virilia sibi amputaverit, vel fecerit amputari? Per se juxta *c. 4. h. t.* irregularitatem contrahit. Ratio est, quia ad sedandam

libidinem alia remedia præsto sunt, nec licet personæ sævire in seipsam. Sed si agatur de eo qui jam sacerdos est, jus bonæ fidei illius aliquantisper parcit, et concedit facultatem Episcopo eundem admittendi per dispensationem ad officia sacerdotalia exercenda, excluso tamen altaris ministerio *c. 4. h. t.*

TITULUS XXI.

De bigamis non ordinandis.

1. Ecclesia, quæ sine macula est, in electione suorum ministrorum non solum a defectu corporis et natalium abhorret, sed etiam declinat defectus illos qui oriuntur ex inspectione qualitatum et relationum supernaturalium, quæ in homine per sacramenta producuntur. Hinc cum matrimonium christianum institutum sit ad significandam unionem Christi cum Ecclesia effectam per Verbi Divini incarnationem, nisi adsit in matrimonio plena hæc significatio, defectus in eodem adesse censetur. Quare bigamia quæ unitati conjunctionis Christi cum Ecclesia aliquomodo adversatur, constituit defectum in persona, qui dicitur defectus significationis seu sacramenti. Quare bigamia gignit speciem irregularitatis ex defectu, et appellatur irregularitas ex defectu sacramenti. Nec officit dari bigamiæ speciem, quæ ex facto illicito procedit, scilicet cum clericus in majoribus ordinibus constitutus attentet et consummet matrimonium; nam, quemadmodum Pontifex adnotat in *c. 5. h. t.* bigamia non sub respectu criminis, sed potius sub respectu defectus impedimentum creat ad ordines.

2. Bigamia vi nominis non est aliud quam successiva reiteratio matrimonii, et bigamus est vir bini conjugii. Dicitur vero 'successiva iteratio' ut a poligamia distinguatur, quæ lege evangelica absolute proscribitur. Bigamia in *veram* distinguitur, *interpretativam* et *similitudinariam*. Vere et proprie dictus bigamus ille est, qui cum duabus mulieribus successive validum contraxit matrimonium, ac cum utraque consummavit. Ratum matrimonium non sufficit *c. 5. h. t.* Pariter matrimonium debet esse validum. Hinc qui eodem tempore plures retinet mulieres cum quibus matrimonii contractum ausus est celebrare, vere bigamus non est. Indifferens autem est sive quis duas uxores successive habuerit post baptismum, sive ante baptismum, sive unam ante et unam post baptismum habuerit. Bigamia enim semper locum habet *cann. 2.*

et *3. dist. 26.* Et ratio est, quia, quemadmodum s. Augustinus in *cit. can. 2.* innuit, per baptismum remittuntur quidem peccata, non tollitur autem defectus sacramenti seu significationis, qui sequitur ex duplici matrimonio in infidelitate contracto et consummato. Nec obstat, matrimonium in infidelitate contractum non esse sacramentum. Nam semper verum est in secundo matrimonio contracto et consummato deficere rationem significationis, quæ aliquo modo est etiam in matrimonio legitimo infidelium.

3. Interpretativa bigamia, quæ fictione juris innititur, tunc obtinet cum quis reapse cum duabus non contraxit, sed interpretatione juris censetur contraxisse. Bigamus nempe interpretative dicitur 1º. qui matrimonium contraxit et consummavit cum vidua a priore viro suo carnaliter cognita, vel cum muliere ab alio corrupta. *can. 'Maritum' dist. 33. et can. 'Si cujus' dist. 34.* — 2º. Qui duo matrimonia invalida, aut unum validum et aliud invalidum contraxit et consummavit; *arg. c. 4. h. t.* Et ratio est: quia licet hic vere bigamus non sit, propter defectum sacramenti, eo quod saltem unum matrimonium fuit invalidum; tamen bigamus est per affectum intentionis cum opere subsecuto. Scilicet quantum in se fuit duo matrimonia voluit contrahere et consummare. — 3º. Tandem qui cum uxore sua ab alio per adulterium cognita maritali consuetudine vivit; idest scienter habet cum ea copulam carnalem; *cit. can. 'Si cujus' et 'Si laici' dist. 34.*

4. Tandem similitudinaria bigamia inducta est in similitudinem iterati conjugii, et locum habet cum aliquis vel obligatus voto solemni castitatis, vel constitutus in aliquo ordine majore attentat et consummat matrimonium.

5. Quod bigamia vera irregularitatem pariat ad ordines patet primo ex Apostolo Paulo *1. Tim. 3.* qui ait 'oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum', et inferius 'Diaconi sint unius uxoris viri'. Quibus in verbis Paulus voluit excludere bigamiam, non vero polygamiam. Nam polygamia seu pluralitas simultanea uxorum lege evangelica Matth. 19. prohibebatur non ministris sacris tantum, sed et ipsis fidelibus; ita ut non potuisset accenseri inter fideles qui Christi legem observabant illi qui simul plures retinebant uxores. Cum ergo aliquid amplius pro sacris ministris requisivit Paulus, quam pro simpliciter fidelibus, dicendum est ipsum exclusisse a sacris ministeriis qui plures habuerant successive uxores. Sensus hujusmodi confirmatur ex *vers. 9. cap. 5.*